



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. CXXVIII. Reatina. fideicommissi de Clavellonibus. Quando dicatur adesse fideicommissum particulare contradistinctum ab universali, & de effectibus ex hac inspectione resultantibus; Et àn ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

eterni. *Rota decif. 51. num. 2. par. 5. rec. & apud Buratt. decif. 168. num. 4. & sequen. & nu. 12. ubi late ex Natta. Mench & alys de præfumptione exclusiva mutatio- nis voluntatis seu ademptionis, quæ per allegantem concludenter probanda est.*

Est bene verum, quod coniectura superius ponderata in ordine ad excludendam fideicommissariam in genere nimium urgere viderentur ad probandam aliquam rationis differentiam, inter unam dispositionem & alteram pro exclusione repetitionis; Verum inane opus credebam de hoc agere, dum concurrentibus, tam regula, quam coniecturis in idem pro exclusione fideicommissariæ, quodque substitutio esset solum per vulgarem, ita expirata ut supra, res manebat longè magis plana & facilis.

Ve enim pluries in præcedentibus ac sequentibus, & alibi ad istam coniecturalem materiam advertitur, magna differentia est inter casum in quo resistente regula in contrarium coniecturæ desideranda veniant pro eiusdem regulæ limitatione, & casum in quo coniecturis regula assistat, seu coniecturæ pro regulæ fomento & comprobatione concurrant; In primo enim longè maiores ac efficaciores desiderantur tanquam inductivæ probationis concludentis contra iuris præfumptionem ex regula resultantem, in altero verò quales quales sufficere videntur utpotè ad superabundantiam ac fomentum regulæ quæ sola sufficeret; Ideoque ubi duæ habentur viæ, una facilior & altera difficilior, imprudens consilium est, prima neglecta, alteram aggredi, Et sic concluderebam in hac facti specie contra substitutos ex primo motivo expiratæ vulgariæ ac cessantis fideicommissariæ.

## REATINA.

### FIDEICOMMISSI DE CLAVELLONIBVS.

PRO

#### FRANCISCO ANGELOTTO

CVM

#### FRANCISCA ANTONIA DE CLAVELLONIBVS.

*Casus decifus per Rotam pro Angelotto.*

Quando dicatur adesse fideicommissum particulare contradistinctum ab universali, & de effectibus ex hac inspectione resultantibus; Et àn prohibito alienationis restricta ad certa bona inducat fideicommissum particulare discretum ab universali, & quatenus non inducat, quos effectus dicta restrictio operetur.

### S Y M M A R I V M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **F**œmina defectus masculis veniunt etiam in fideicommissio agnatio.
- 3 **F**ideicommissio particulari, non confecto inventario, non obstant detractioes, & de ratione.
- 4 **Q**uod ex prohibitione restricta ad stabilia tantum resultet fideicommissum particulare.
- 5 **D**e requisitis fideicommissi particularis discreti ab universali.
- 6 **A**n prohibitio restricta ad bona stabilia causet fideicommissum particulare.
- 7 **Q**uos effectus causet dicta restrictio prohibitionis.
- 8 **Q**uando cessante etiam diversitate personarum detur in eisdem personis concursus duplicis fideicommissi universali & particularis.
- 9 **S**ecunda dispositio magis clara & ampliativa præcedentis non dicitur continere fideicommissum separatum.

### D I S C. C X X V I I I.

**M**utius de Clavellonibus de anno 1569., instituit quatuor filiis masculis, iisque invicem substituit, in casu obitus absque filiis masculis legitimis & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis, cum exclusione feminarum, ac etiam perpetua exclusione illegitimorum in tota descendencia quamvis essent legitimati, donec verè legitimi extarent; Per capitulum separatum, adjecta principaliter ratione (per verba præcisa) suam enim voluntatem esse, ut omnia ejus bona non exirent de agnitione & progenie, sed in ea perpetuo ad agnationis honorem conservarentur, strictissime prohibuit sub pena caducitatis omnem & quancumque alienationem bonorum stabilium.

Ex dictis quatuor institutis, solus Franciscus prolem suscepit masculinam, defectam in Antonio Francisco nepote, ex quo fuit superstes Francisca actris, quæ prætendens fideicommissi purificationem ad ejus favorem, iudicium instituit contra Angelottum possessorem aliquorum bonorum, vel per primum gravatum vel alios ex dictis descendentibus distractorum, Et introducta causa in *Rota coram Bourlemont*, datoque dubio, àn constaret de fideicommissio, & quali.

Non controvertebatur ex hac parte rei conventi fideicommissum universale, quoniam dicta ratio principaliter adjecta prohibitioni alienationis aliaque coniecturæ ex toto testamenti contextu resultantibus, illud nimis clarè convincere videbantur, Solumque dubitatio oriri poterat super comprehensione feminae actris, stante perpetua exclusione feminarum, quodque, tam in dispositiva, quam in conditionali fiebat sermo de masculis; Verum incongruum reputatum fuit hujusmodi quaestionem afferre, Tum quia præsertim in *Rota & Curia*, satis hodie receptum est, ut sub generali vocabulo descendentium seu agnationis & progeniei, cessante eo cursu masculorum, veniant etiam feminae, quæ licet agnationem non propagent, illamque ad posteritatem non transmittant, attamen ipsæ sunt agnatæ ex deductis *der. 133. par. 9. rec. decif. 40. post Censal. ad Peregr. & in aliis*, ac habetur nimis frequenter in præcedentibus in materia concursus feminarum & àn & quando masculinum

Ce 3

con-

conciat femininum; Tùm etiam quia nullus erat huiusmodi inspectionis effectus, cum bona, de quibus erat controversia, distracta non essent per Antonium Franciscum ultimum masculum actricis patrem, sed per alios prædecesores, undè in omnem eventum, fideicommissum indubitanter apertum ad favorem dicti masculi, post purificatam conditionem defuncti, in ipsam eius hæredem transmissum fuerat, & sic parùm intererat, à ex propria vel patris persona agere posset.

Tota igitur disputatio restricta fuit ad secundam partem dubii, super qualitate scilicet fideicommissi àn illud esset universale vel particulare, Atque scribentes pro actrice acriter insistebant, ut firmaretur illud esse particulare in stabilibus tantum, ob illorum solam & particularem prohibitionem, cuius qualitatis effectus erat satis notabilis, ad effectum scilicet ita excludendi competentiam detractionum, in quarum causam tam reus conventus quàm cæteri aliquorum bonorum huius hereditatis possessores adhuc non pulsati prætendebant posse se tueri, quoniam cum heredes gravati nullum confecerint inventarium, atque neglexerint uti beneficio textus in *l. finali C. de iur. de lib.*, exinde resultabat quod detractiones eis competentes non erant proficuz; Non quidem accidentales ratione dotium matrum aliorumque creditorum eis competentium, ob confusionem, quæ secluso beneficio inventarii per additionem ipsò iure inducitur iuxta firmata in *Bituntina census coràm Corrado dec. 373. par. 9. rec. & passim*; Neque quoad detractiones legales, quoniam ex veriori ac recepta sententia illæ ob non confessionem inventarii non amittuntur per hæredem trebellanicum, & ubi agitur de fideicommissio universalis; Vbi verò agitur de fideicommissio particulari, nil refert illas amitti, vel non amitti, nam effectus est idem, quia cum aliud istud fideicommissum non importet nisi legatum ad text. in *l. i. ff. de leg. 1.*, hæres non beneficiatus ad integra legata & fideicommissa particularia implenda tenetur in solidum ac de proprio ad text. in *d. l. fin. S. si vero postquam C. de iur. de lib. & S. si verè non fecerit aub. de hered. & fideicid.*, Atque ita distinguendo inter fideicommissum universale & particulare habetur, apud Rotam dec. 399 num. 24. cum sequen. par. 9. rec. ubi concordantes, ac sapius hoc eod. tit. & in altero de detractionibus.

Quod autem ob prohibitionem alienationis ad stabilia tantum restrictam, inductum videretur fideicommissum particulare; scribentes pro actrice deducebant firmata per *Soc. iun. con. 49. n. 16. cum seq. & n. 22. lib. 3. Per. son. 64. n. 28. cum seq. lib. 3. & per Rot. dec. 12. n. 35. pa. 10. rec. ubi latè cæteri cumulantur, præsertim decisiones in Romana fideicom. de Victoris coràm Merlino inter suas dec. 265. aliàs 47. & 77 par. 5. rec.*

Scribens autem pro reo convento, cum sensu etiam veritatis, qualem quoque Rota agnovit, ita resolvendo sub die 10. Decembris 1666. Dicebam omninò improbabilem esse actricis prætensionem; Ad essentiam etenim fideicommissi particularis, quod legati speciem habet ut supra, certum est duo requisita copulativè desiderari, quorum utrumque ubi de solo fideicommissio restitutorio ageretur, in præsentia desiciebat, Primò scilicet consistens in diversitate personarum, ut ad particulare vocatæ essent personæ diversæ ab illis, quæ vocatæ sunt ad universale, ex ea manifesta ratione, quod cum sit legatum, pemecessè danda est distinctio personarum; quodque unus sit hæres, alter

verò sit legatarius; Et secundo, quòd idem fideicommissum ordinatum sit in re certa, non in universum vel in quota, cum ille terminus non conveniat actori particulari, sed universali, in quem transit universum jus activum & passivum, quoniam non transit in legatarium seu fideicommissarium particularem ex deductis per *Molin. de pign. lib. 1. cap. 10. n. 9. & 10. Rot. dec. 421. num. 26. par. 1. dec. 399. nu. 17. & seq. par. 9. & habetur pluriè eod. tit. præsertim in Victoris coràm Merlino inter suas dec. 265. aliàs 47. & 77 par. 5. rec. & in aliis, Ac etiam bene habetur apud *Soc. iun. con. 56. num. 12. & seq. & per tot. quod in magistrale in hoc puncto constituendi fideicommissum particulare, quoniam distinguendo circumstantia, pro certo supponitur distinctio personarum, etiam altera circumstantia, quod non agatur vel de quota, sed de certis rebus; & sic in d. l. fin. in qua transcribentes in contrarium, quæ ex iudibus constituendo fundamentum, esse qualitatem fideicommissi particularis esse inconvertibilem, utraque circumstantia veniunt quoniam ad solam domum habitacionis post defectam lineam masculinam vocabatur, cui ex femininis, qui ad reliquam hæredem bona, ex fideicommissio universalis vocati sunt. Atque in d. dec. 12. num. 35. par. 10. ac in d. Rotam. de Victoris coràm Merlino dec. 47. & 77 par. 5. cent. licet ageretur non de certa re singulari, sed in universo genere stabilium, nihilominus ad creativè ad mobilia, iura, & actiones, illud spectatur certam speciem constituere, cum contrariè diversitas personarum, quoniam in casu dicto 12. par. 10. testatrix, defecta propria voluntate quam ad universam hæreditatem vocaverat, gravit ultimò deficientem ad restituendum Congregationi Boni Iesus stabilia tantum, & sic oblativè sitas personarum, ac discretivè inter legatarios reditorem, cum hæc redideret penes ultimam testatorem hæredem, illud verò in certa bonorum consistens spectaret ad dictam Congregationem venientem iure particulari tantum; Et in d. l. fin. de Victoris ius hæreditarium universale reditorem mobilibus ac se moventibus, iuribus, & actionibus ac aliis quæ in prohibitoris stricte interpretacione non veniunt sub nomine bonorum stabilium.**

Utrumque requisitum in præsentibus cessabat, nam nulla in testamento habebatur personarum discretio, quodque aliqua vacata essent mobilia, non vocatæ ad reliquam hæreditatem, vocatio erat generica de universa agnatione, patris, & descendencia; Minusque aderat restitutoriam certam speciem bonorum, quoniam dicta Congregatio principaliter ac per viam orationis independenter à dicta prohibitioni, & ex qua fideicommissum institutum resultabat, percutiebat hæreditatem ac bona ipsius à indefinitè.

Neque obstare dicebam; quod prohibitio ad stabilia tantum, quoniam huiusmodi prohibito utpotè non restricta ad certam rem, sed ad certam speciem generis stabilium sapere potius quædam generalitatem ratione subiectæ materiam, quia mobilibus ex quotidiano usu consumuntur, & videtur congruere dicta prohibitio cum preservatione in universa agnatione & descendencia, & sic testator prudenter neglexit expressè illam bonorum qualitatem, cui talis prohibitio congrua erat, ita spectando magis effectum, quàm formam, quia fideicommissum resultare non dicebam.

à prohibitione, sed à ratione, non accessorie, & consecutive, sed principaliter adjecta, quæ ratio percutit universam hereditatem ac bona indefinitè; Stant enim bene simul fideicommissum esse universale, ita ut omnia bona cadant sub legali prohibitione alienationis, & tamen per testatorem fieri prohibitionem particularem de aliquibus bonis, quæ prohibitio non immutat naturam fideicommissi, sed solum operatur certos effectus, ut in specie advertitur *dec. 210. nu. 10. cum sequen. & dec. 312. nu. 29. par. 6. recen. d. dec. 399. nu. 17. par. 9. apud Greg. dec. 26. & in aliis, & latè Gabr. conf. 38. nu. 25. cum sequen. lib. 2.*

Dicta enim expressa hominis prohibitio restricta ad certa bona, plures operatur effectus, illum præsertim detractionem non faciendam ex bonis particulariter prohibitis, nisi in subsidium, quando illa non esset de melioribus, ita ut non resisteret absurdum, quod filius de deterioribus legitimam aliaque detractiones habere deberet; Sive quod ob particularem affectionem testatoris ex huiusmodi speciali prohibitione deductam, limitaretur regula *text. in l. cum à matre C. de rei vindic. atque concederet fideicommissario jus vendicandi huiusmodi bona, quamvis esset hæres alienantis juxta firmata in Bonon. fideicom. de Rubic. coram Corrado dec. 41. & 363. p. 10. rec. cum similibus, Non autem ad faciendum fideicommissum particulare, quod est impossibile, non data dicta discretionem personarum, ac bonorum, ut supra.*

Quatenus verò pertinet ad dictas auctoritates *Soccini. conf. 49. lib. 3. nu. 16. & Peregr. conf. 64. nu. 28. lib. 3.*, in quibus, cessante etiam dicta discretionem, firmatur simultaneus concursus fideicommissi universalis & particularis, in eodem genere personarum, & quæ auctoritates primo aspectu apud judicantes magnam fecerant impressionem; Dicebam in hoc laborari æquivoco manifesto quoad applicationem, quoniam dicti Auctores ac cæteri idem firmantes, bene loquuntur in casu suo, sed non bene applicabantur ad hanc facti speciem, cum dictus concursus rectè admitatur ex diversitate tituli seu causæ; Vbi scilicet agitur de duplici fideicommissi, ex duplici diversa causa resultante, quorum unum sit simplex ac restitutorium in casu mortis, alterum verò sit penale seu conservatorium in casu alienationis, quoniam si certa res alienatur contra prohibitionem habentem penam caducitatis, tunc rectè proxime substituitur jure fideicommissi particularis aperti per casum alienationis agere poterit ad illam rem, reliquo fideicommissi universalis seu hereditate remanente penes alienantem juxta casum, de quo in *Romana fideicommissi de Cartulis coram Verospio dec. 123. par. 10. rec. in Bonon. fideicommissi 28. Junii 1651. & 17. Junii 1652. coram Celso inter suas dec. 131. & 173.*, ac habetur in *Civitate Castellane fideicommissi de Clarionibus, disp. 158.* & in alijs hoc tit., Et in his terminis loquuntur præsertim *Soccin. & Peregr. ubi supra*, quoniam licet utrumque fideicommissum verificetur contemporaneè in eodem genere personarum, attamen compatibilitas resultat à diversitate causæ seu tituli; Secus autem ubi fideicommissarius venire præterit ex uno tantum titulo fideicommissi restitutorij in casu mortis, cum tunc id sit omnino incompatible; Ideoque dicebam, quod si volebat, poterat actrix ad bona distracta venire jure fideicommissi particularis, non per mortem sed per alienationem aperti, sed ista via non remanebat

*Card. de Luca de fideicom.*

sibi proficua, neque ex ea resultabat effectus per ipsam desideratus, destruendi scilicet detractiones in radice, cum huiusmodi fideicommissum intelligendum veniat de alienationibus illicitis ac prohibitis, quales non dicuntur illæ, quæ sunt in causam detractionum, cum tunc gravatus non dicatur alienare bona testatoris fideicommissaria, sed potius eius propria & libera, ita in causam suarum detractionum electa ad vulgarem regulam *text. in l. Marcellus ff. ad trebell.*

Aliqui ex iudicibus insitebant in eo, quod hoc testamentum duo fideicommissa contineret, Vnum reciprocum inter solos primos hæreses sub conditione, *si sine filiis*, absque ulteriori progressu, Alterum verò magis latum ac successivum, ex dicta separata oratione deductum pro universa agnatione & descendencia, unde propterea inserebant ad diversitatem personarum; Verum id nullius momenti erat, Tum quia posito etiam, quod hæc dicenda essent duo fideicommissa separata, unum magis restrictum, & alterum magis latum, adhuc tamen utrumque erat universale, utpote in universa hereditate ac bonis ordinatum, ideoque si concurrebat unum requisitum discretionis personarum, cessabat alterum discretionis bonorum.

Tum clarius quia reverà nullam substantiam habebat hoc assumptum, quod essent duo fideicommissa separata; In prima etenim parte dispositionis, cum testator posuisset in conditione filios cum qualitate masculinitatis, ac vera legitimitatis, perpetuæque exclusionem illegitimorum & feminarum, probabiliter præteriti poterat, quod ex huiusmodi & alijs coniecturis filij in conditione positi censerentur, nedum vocati vocatione activa, sed etiam passiva, & sic gravati de uno in alterum in perpetuum, ita ut sub nomine filiorum in conditione positorum censerentur demonstrati omnes descendentes, ex ijs quæ habentur pluries hoc tit. super ista materia filiorum in conditione positorum, & an ex vocatione activa inferatur ad passivam; Ac propterea dicta secunda dispositio resultans ex ratione perpetuæ conservationis bonorum in universa agnatione & descendencia non continebat novum diversum fideicommissum sed majorem & clariorem explicationem præcedentis voluntatis magis obscure ac implicite ordinatæ, & sic reverà erat unicum fideicommissum ab initio; Ac propterea reflectendo etiam ad solam veritatem, iustam ac probabilem credidi resolutionem *sub d. die. 10. Decembris 1666.*, constare scilicet de fideicommissi universalis non autem de particulari reservato ut videretur de detractionibus, & quæ alienationes in istarum causam sustinerentur, & quæ non, de quo puncto, quatenus causa ulteriorem disputationis progressum habeat, habebitur forte in hac eadè causa *sub tit. de detractionibus.*

## VRBINATEN.

PRÆDII

PRO

COMITE ODASIO

CVM

BRANCALEONIBVS

*Causa variè decisus per Rotam.*

De eadem materia; An scilicet

de

inter